

2. Quod autem Calcedonenses canones dicunt¹, ut, si adversus eiusdem provincie metropolitanum episcopus vel clericus habet querelam, petat primatem dioceseos aut sedem regie urbis, quae nobis est Roma², et apud ipsum iudicetur: qui huiusmodi primas esse desiderat et hunc primatem habere se iactat, ostendat inde auctoritatem apostolicae sedis, quia sub cura sua metropolitanos episcopos habeat, sicut Alexandrinus et Anthiocenus episcopus et ex delegatione sedis apostolicę³ Thessalonicensis episcopus et in tempore suo quidam in Galliis. Numquam autem Treverenses vel Colonenses *episcopi habuerunt, quatenus nos eis^a subdere regulariter debeamus.⁴

3. Caeterum, fratres et consortes ac compares, quantum spectat ad regiminis privilegium, 'honore invicem praevenientes'⁵ et per caritatem invicem servientes⁶ atque 'subiecti invicem in timore Christi' secundum apostolum⁷ erimus. Quoniam qui ordinari a suffraganeis et suffraganeos ordinare et provinciales synodos convocare et Romam sive ad comitatum vel ubi et ubi longius ire et coepiscopos suos longius abeuntes suis epistolis prosequi et licentiam eundi sine alterius primatis provincie potest consultu atque relatione, et metropolitanus et provinciae primas esse dinoscitur, sicut qui regulas ecclesiasticas intellectualiter legit agnoscit.

4. Unde Anthiocenum dicit concilium⁸: Per singulas regiones episcopos convenit nosse metropolitanum episcopum sollicitudinem totius provincie gerere, propter quod ad metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrant. Unde placuit^b eum et honore praecellere et nihil amplius *preter eum caeteros episcopos agere, *f. 36'. secundum antiquam a patribus nostris regulam constitutam, nisi ea tantum, quae ad suam diocesim pertinent possessionesque subiectas. Et nec metropolitanus sine ceterorum gerat consilio sacerdotum. Quam sententiam Leo papa in epistola ad Theodorum Feroiulensem episcopum apertissime exponit dicens⁹: Sollicitudinis quidem tuae^c is ordo esse debuerat, ut cum metropolitano tuo de eo, quod querendum esse videbatur, conferres. Ac si id, quod ignorabat dilectio

^a) ei *Hs.* ^b) i *auf Ras.* ^c) *korr. aus tua, Ras. vor is.*

¹) MIGNE 67, 173 c. 9. ²) *Vgl. oben S. 59.* ³) *Vgl. oben S. 55 mit N. 6.* ⁴) *Vgl. oben S. 52 N. 6.* ⁵) *Rom. 12, 10.* ⁶) *Vgl. Gal. 5, 13.* ⁷) *Eph. 5, 21.* ⁸) MIGNE 67, 161 c. 87. ⁹) AMOET, *Elementa iuris canonici* 2, 537 (*Sammlung von Diessen*); MIGNE 130, 888; HINSCHIUS *S. 625 (J-K. 485).*